

Bibliothèque numérique

medic@

Brasdor, Pierre - candidat / Morand,  
Sauveur - président. - [De urinae  
retentione]

1752.

*Paris : Typis Delaguette Regii  
Chirurgorum Collegii  
Typographi.*

Cote : ms 2342, n°24



D. O. M.  
POSITIONES ANATOMICÆ  
ET  
CHIRURGICÆ.

*EX ANATOMIA.*



UJUSQUE morbi tanta magnitudo est, quantum à statu naturali recedit; quantum vero recedat, is solus novit, qui naturalem habitum ad amissim tenuerit (a). Quād infirma sit & caduca mortalium conditio, ex eo perspicuum evadit, quod infinitis propè modis quælibet nostri pars ruinam totius ducere possit; sed cui perspecta non erit Corporis humani fabrica, nec ille partes à statu sano recessisse & quantum recesserint cognoscet, nec lœsioni proinde medelam componere poterit. Idcirco de urinæ retentione tractaturis, partes morbo isto lœfas, aut operationibus Chirurgicis ad ægri sublevationem vulnerandas, paucis exponere nobis visum fuit.

(a) Galenus Method. Med. ad Glauconem Lib. 1º. Cap. 1º.

2

**VESICA** urinaria receptaculum est quoddam membranaceum; musculosum, in hypogastricā pelvi pubem inter & Rectum in mari- bus, in fœminis pubem inter & uteri vaginam collocatum, quod suscepit à renibus per ureteres urinam asservat, eamque vel onere, vel acrimoniam molestam expellit.

**DIVIDITUR** in cervicem, corpus & fundum; hic superior est & angustior pars vesicae, ab eoque ad umbilicum porrigitur Urachus: Cervicis verò nomine designatur locus in imâ & ampliore vesicae parte in modum infundibuli coangustatus, & in urethram desinens, undè vesica, sedentem quâ pediculus hæret, ovatae figuræ cucurbitam, non malè refert.

**MEMBRANARUM** quadruplici complexu constat, quarum exterior communis dicta, Peritonæo continua, vesicam inter & partes in abdomine contentas, sepimen veluti consideranda. Hæc ponit vesicam vacuam laxius replicata, ita ut à tergo explicetur, dum, lotio affluente, vesica suprà pubem assurgit, superius, posterius & à lateribus tantum vesicam vestit; reliqua verò vesicae superficies textu spongioso, pro lamellâ Peritonæi exteriore perperam, habito, molliter ceu tomento stûlcitur.

**ALTERA** muscularis, fibris in omnes sensus expansis conflatur, quarum pars maxima versus vesicam cervicem agglomerata, ibique novis fibrarum torosarum à pube procedentium fasciculis densata vesicae sphincterem efformat. Musculari nervea, nerveæ villosa subiacet, ambæ molles ac plicatiles dilatatae vesicæ facilius obsequuntur. Hæ sensu vegetiores mucosâ veluti crustâ à contenti liquidi mordacitate vindicandæ fuerunt: istius muci scaturigines præcipue circâ vesicæ collum conspicuæ (a). Villosam à nerveâ non diversam nihil aliud esse quam ipsiusmet tomentosam propaginem contendunt alii (b), alii (c) ipsam omittentes innuere videntur.

**VESICA** tribus osculis pervia. Obscuriora duo, ac veluti conniventia (ureterum extrema) posteriorem simul & inferiorem vesicae partem obliquo tramite pervadunt; inferius verò aliis majus in canalem teretem, membranaceum, pro sexu, longitudine, directione, amplitudine usque diversum, urethram dictum, definit.

**PRINCIPIUM** urethræ glanduloso corpore, juglandem mole, figurâ castaneam referente, obvallatur. Illud Prostatas dicunt. In hâc urethræ parte hiant oscula plurima quibus prostatarum liquor percolatur, & bina alia, quandoquæ tria prominentem ibi carunculam Verumontanum dictam permeantia, quibus subsilit semen ex feminalibus capsulis erumpens.

**INDE** urethra dimidium digitum transversum membranæ, subter pubis fornicem evecta, septum aponevroticum pervadit, ibique

(a) Graaf De Org. Gen. Tab. V. (b) Parsons Description de la Vesie. p. 8. (c) Heister compend. Anat. pag. 93.

3

membranis suis à textu spongioſo interjecto displicatis, in modum bulbi extorsum extuberat, textu deinde illo graciliorē factō, usquē ad penis extremitatem urethra circumſepitur, quo ibi iterū intumescente glans penis efformatur.

Excipitur modo descriptus canalis interſtitio inferiori Corporum Nerveorum, Colisque tribus iſtis conflatus corporibus tria ſortitit musculorum paria, Erectores nempē, Acceleratores & Transversos. Partibus his omnibus yafa ſanguifera ſuppeditantur ab hypogaſtricis, nervea à ſympathico majore, ſciaticis & ſacris. Partium harum à muliebribus differentiæ diverſitatem quoad propositum noſtrum in judicia Pathologica conſiliaque Therapeutica inducen-dam, indicant.

### EX C H I R U R G I A.

**M I R U M** sanè! vita ſeipsam deſtruit, humores nostri inevitabili ſanitatis metiſius effectu ad putredinem proni fiunt, quiqe ſuſtentārunt corpus, illud brevi pefumdarent, niſi comparata eſſent or-gana, quibus ab œconomia animali ſeparati, perpetuā vice ejiciuntur iterū reparandi. Hāc expeditā reparationum ejectionumque alterna-tionē ſani vivimus. Si pervertatār, ſubitanea functionum leſio apparet. Hanc veritatem probant quæ ex urinæ retentione, græcis Ischuriā (a) ſequuntur incommoda: brevi enim respiratio anhelofa & diſſicilis, pulſus celerrimus, inæqualis ſepē, deliria, ſopor, pro-ſtratus appetitus, ſitis, nauſea, vomitus ægrum ſubeunt; niſique tempeſtive urina eliminetur, periculum iſtat, nè doloribus, inflam-matione, abceſſibus, gangrēnā, ægri crucientur aut penitus obruantur.

**M A L I** hujus plurimæ cauſæ indiciis peculiariibus, pro variâ ſpecie, cognoscendæ. Pro cauſis diſpar eventus diuerſaque cu-randi methodus. Quæcumque autem ſit cauſa, iſchuriam ad eſſe hāc ſignificant: dolor in regione hypogaſtricâ circa pubem po-tiſſimum, tumor ibidem, præſertim in macilentis conſpicuus, di-gito in anum viris, foemini in vaginam immissō occurrens, irri-ti mingendi conatus, ac tandem ubi veſica valde intenditur, æger inter miſeros cruciatus cibum & bilem per os reddit.

**L O T I U M** autem non excernitur, 1°. quod veſicæ viſ contrac-tiſis reſoluta ſit aut stupefacta; 2°. quod impediatur; 3°. quod via quâ liquidum eliminari solebat occludatur.

**V E S I C A E** contractilitas reſolvitur aut stupefit à cerebri, me-dullæve spinalis commotione aut affectione quâlibet, vertebrarum luxatione, frigore (b), ſenectute. Ad hanc noxæ claſſem re-

(a) Vox hāc iſchuria gemino ſenſu apud authores uſurpata nunc vitio Re-num non ſecretam, aut in ſuo à Renibus ad veſicam traſtu coabitam, nunc ve-ro coacervatam, coercitamque in veſicâ urinam ſignificat. Hunc morbum aggredimur iſchuriæque nomine eum hīc ſignificatum petimus.

(b) Heift. Inſtit. Chir. p. 826.

ferri debet vesicæ atonia ex coercitâ ob pudorem (a) vel per sonum (b) urinâ , aut ex ipsius promptiori majorique coacervatione usu diureticorum , aquarum mineralium &c. (c).

H U I C ischuriæ speciei quæ cognoscitur , si adsint , aut adsuerint una , vel plures ex modo recentitis causis , opitulatur catheter , aut cereus cavus , hoc in casu facilis negotio in vesicam , quoties opus est , demittendus , & per plurimum dierum intervalla relinquentus , usquæ dum urina sponte circâ catheterem vel cereum , effluens indicet vesicæ contractilitatem restitui , restituamque afficerat lotii absquæ alterutrius ope eliminatio (d). Asunctione Heistero commendatâ , tanquam medio inutili , abstinentem censemus (e).

I N T E R E A , in vesicam stillatim injiciuntur medicamenta quæ in ipsâ sensum excitare possint , si absit in partibus lotii copiâ distensis inflammationis metus ; secùs sedantia . Causa antecedens debellatur : balneum , diuretica potumque largiorem nocere per se liquet . Mediis indicatis amissam quandoquè contractilitatem vesica recuperat , sin minus , nil nisi à catetheris ope per vitam cum debitissimis cautelis continuandâ , sperandum . In hoc casu , & quoties perpetua catetheris necessitas inducitur , immissus semel , per plures dies relinquitur catether à clar . Petit excogitatus , in litteræ S formam inflexus (f) , aut cereus cavus . Catetheris flexilis usum periculi haud expertem tenemas .

L A X A T A M , expansamque vesicam , suprà pectinis ossâ prominentem ex eo quod lotii excreti copia potius quantitatî sit æqualis , abcessum esse perperam non concludatur (g) . Catethere longiori tunc in vesicam immisso , urina magnâ vi effluit , tumorque evanescit . Notandum quoque obiter tenuem interdum (h) catetherem , per urethram trajici non posse , dum crassior facile impellitur .

V E S I C A E contractilitatem impediunt fungi ad vesicæ superficiem intus aut extus accreti (i) , skirrus (k) , inflammatio à cantharidis intus aut extus (l) adhibitis , aut à quâcumque causa abcessusque vesicam aut vicinia vesicæ occupans .

F U N G I S vesicam infestantibus , ischuriam produci tûm conciicitur , cùm absente quâvis aliâ causâ , nativa vesicæ contractilitas , intrâ solitum temporis intervallum , non restituitur , quandoque præ-

(a) Paré Lib. 17. C. 50. (b) Collot *Traité de la Taille*. p. 272. (c) Id. p. 262.

(d) Clarissimi præsidis observatione compertum est publicisque lectionibus demonstratum catetheri diutius in vesicâ reliquo inhærescere materiam urinæ labulosam , sicque instrumentum asperius factum nonnisi cum urethra atroci erosione extrahi posse , idem de cannulis in vesicâ relinquentis intelligendum .

(e) Heist p. 827. (f) Vid. Delin. hujus instrumenti ad calcem Lib. Oper. Dionisii M. la Faye Notis illustrati Litt. f.

(g) Collot hujuscem erroris plura affert exempla .

(h) Hildanus cent. 2. Observ. 65 , & cent. 4. Observ. 53. (i) Collot p. 275. & seq. utrumque casum exemplis asserit . (k) Hild. cent. 1<sup>a</sup>. Obs. 56.

(l) Paré Lib. 21. Cap. 35.

5

terea , quamvis per catheterem lotium eliminatum fuerit dolor & tensio in vesicā animadvertuntur. His signis , si quædam alia jungantur ex putriū carnū , vel sanguinis excretionē , aut catheteris explorationē desumpta , fungos intus esse judicare datur. Emīssā , per catheterem in vesicā relinquendū , urinā , idonea adhibeantur injecta ; si autem majora urgeant accidentia , radicalemque curationem obtinere velis , tunc instituenda venit apud autores laudata , urethræ ut in magno apparatu incisio ; immisso deinde in vulnus tubulo pūs moventia diluentia & detergentia suā vice injiciantur. Fungos externos signa nulla indicant , nullaque , et si innotescerent , ipsis competit curatio.

Si vesicam inflammatiō tenet , urinā primū per fistulam evacuatā , adhibenda quæ leniunt. Immisso in podicem digito viris , fœminis in vaginam , quandoquæ manifesta , catethere autem eodem semper loco animadversa durities , urinam à skirro vesicam occupante retineri suadet ; nullum à Chirurgiā præsidium quām catheteris usus , dūm substiterit tumor , perpetuus.

Quæ tandem causæ urinæ effluxum prohibent , suā licet contracilitate gaudeat vesica , vel ex parte urethræ repetendæ sunt , vel à corporibus quibusdam in ipsam vesicā delitescentibus colloque ejus hærentibus , qualia sunt calculi , arenulæ , mucus (a) , vermes (b) , sanguis congrumatus , pus viscidum (c) , corruptæ carnis particulæ (d) , acriorque tandem urina in gravidis , ultimis præsertim graviditatis temporibus , sibimet viam vellicando occludens (e).

A calculo vesicæ collum obturari indè cognoscitur , quod adfint aut adfuerint ipsius existentiæ signa , catetheris explorationē præsertim confirmata. Tum hoc instrumento corpus extraneum amovendo , malum instans , donec calculus eximatur regrefsurum , depellitur. Quānam autem ratione calculum extrahere expediat , discutiendum aliis relinquimus.

Si ab arenulis urina cohibeatur , aderunt calculi indicia , sedimentumque arenulosum in urinis prius observatum fuit. Si à viscofo humore , urina , anteā mucosis succis saturata , mox tenuis , ac veleni percolata effluxit , ac tandem suppressa fuit. Si à grumo sanguinis , præcessit mihius ejusdem , aut causa vasa disrumpere vel dilatare valens. Si à vermis , eorum posterā excretionē tantum cognoscetur. In gravidis , urinæ acrimonia graviditatis tempore & accidentibus conjicietur. Ægro primū ab urgente ischuriā , catheteris ope vindicato , arenulæ mucique largo saponaceoque potu

(a) Collot p. 252. (b) Hild. cent. 1<sup>a</sup> Obs. 56 , Manget Bibl. Chir. Tom. 4<sup>a</sup> p. 323. (c) Collot p. 256. (d) idem p. 281. Hild. cent. 4<sup>a</sup> Obs. 53. (e) Hanc acrimoniam tribuit urinæ moras nimias trahenti in Rugis transversalibus efformatis in vesicā ob quod fundo suo deorsum deprimatur , & hoc se pluries observasse afferit Mauriceau , Tom. 1. Lib. 1. p. 139.

dividantur & eluantur; sanguis congrumatus, pus viscidum, putridæ carnes, epotis & injectis in vesicam diluenda. Vermes amaris injectis enecentur. Gravidis urina demulceatur.

**O B I C E S** ex parte urethræ repetendi, sunt cervicis vesicæ aut urethræ inflammatio vel abcessus (à violentiâ externâ, Epotis, Cereis causticis, (a) Catetheribus cuspidi incidenti donatis, (a) Coitûs usu nimio (b), aut impuro) durities ab inflammationis exitu, urethræ in infantibus imperforatio, in senibus collapsus, calculus in ipsam intrusus, cicatrices ipsam occupantes (c), Gonorrhœarum tandem tristes reliquiae urethræ contractio (d), callosæ cicatrices, callosa ulcera, carunculae, Verumontanum tumefactum, Vesiculæ seminales duræ, callosæ. Prostate ab hâc (vel aliâ) causâ tumentes, in his denique indoles quâ minimâ de causâ turgescant (e) (f).

**C E R V I C I S** vesicæ inflammationis signa, dolor in perinæo, tactu ingravescens, tumor digito in anum, catetheri in urethram immisso occurrens. Media adversus inflammationem adhibenda. In balneum, nisi inflammatio adoleverit, demittendus æger. Interea catetheris immissio tentanda. Si ipsam obtineri desperetur, acus triquetra cannulâ inclusa per abdomen, debitâ à pube distantiâ, in corpus vesicæ adigatur. Scalpellum aut acum triquetram per loca in magno apparatu incidenda (g), vel acum triquetram per urethram priùs incisam (h) in vesicam adigere, exitiale putamus, nec, etsi multo minore cum periculo, attamen tutò acus triquetra per erectoris & acceleratoris intervallum in vesicam hoc in casu deprimetur (i).

**I N F L A M M A T I O N I S** urethram occupantis signa, curatioque patent. Urethra senibus collapsa cereis cavis, aut catethere jam in simili casu laudato sustinetur, imperforata aperitur, indurata emollitur. Si calculus ipsam distendat, emollientibus injectis & extus applicatis, balneo, dilatationi obsequens fit urethra, tumque corporis calculosi, unco in urethram immisso, si licuit, aut digitorum ponè alternâ pressione, tentatur deturbatio: irrita si hæc fuerint, incisâ urethrâ eximatur. Ad hanc autem operatio-

(a) Hild. cent. 4<sup>a</sup>. Obs. 54. Saviard Obs. 74, Dionis Remarques p. 207. M. Garengor Op. Tom. II. p. 30. (b) Paré Lib. 24. Cap. I. (c) Hildan. Cent. 5<sup>a</sup>. Obs. 75.

(d) Hæc affectio nec est veneræ luei, nec urethræ peculiaris Confer, Liber cui Titulus, *Recherches critiques sur l'état présent de la Chirurgie à Sam*, Sharp. p. 181. (e) Confer, Astruc de Morb, ven. p. 310.

(f) De Harum obstruktionum naturâ jam dudum lis est inter authores: ut suam quisque sententiam experimentis comprobat, sic comparatae sunt singulæ ut nulla temerè ex iisdem sperni, quin potius cum reliquis conjungi una quæque mereatur. (g) Dionis Texte p. 196. Remarques p. 200.

(h) Claris. Astruc hâc operatione graviora induci posse accidentia agnoscit, ipsamque, nisi ob alterius operationis defectum, præcipere non videtur.

(i) Junkers Conspec. Chir. Tab. 97.

tionem non festinandum, indè suadetur, quòd in loco inciso durior remaneat cicatrix, meatús urinarii dilatationem impediens, quodque maximæ extentionis urethram esse capacem observata comprobent.

(a) Damnanda putamus calculum in urethrâ comminuendi tentamina.

URETHRÆ à gonorrhœis obstrunctiones præteriorum commemoratione, stranguriâ acerbissimâ, quandoquè depravatâ semenis ejaculatione, urinæ exili filo, nonnunquam bifidâ excretione, catetheræ, cereisque dignoscuntur. Assiduus cereorum suppurantium (b) usus, adhibitis aliundè adhibendis, constanti successu in hâc obicis specie debellandâ comprobatus, arcendam à Chirurgiâ totam canalis obstructam partem incidendi, vel ab incisione ad bulbum urethræ factâ, setaceum per glandis foramen trajiciendi methodum, demonstrat. Si interea urget ischuria, nec catether per urethræ trajici possit, punc̄tio in perinæ ope acūs triquetra per erectoris & acceleratoris intervallum adactæ (c), instituenda, cannulaque dūm obstacula evanuerint, relinquenda. In hoc casu & cum cervicem vesicæ aut urethram occupat inflammatio, præferatur catetheris species, nullo foramine à lateribus prædicti, in extremitate aperti, globuloque piriformi clausi (d).

PROSTATI absq̄ue inflammatione tumentibus urinam coerceri scitur, excretis quibusdam mucosis (e), digito in anum aut vaginam immisso indolentem tumorem advertente, catetherem demùm ibi in obicem occurrente, & si vesicam ingrediatur, ità atq̄ue quasi vincito, ut nequè in hanc, nec in illam partem divertit queat (f). Curatio hydrargirosi, si indicetur, cereisque tentanda. Successu votis non respondente, necessarius evadit catetheris, sive cerei cavi usus perpetuus. Si autem is sit tumor, ut immitti catheter nequeat, incisâ tûm, mediante catetheris sulcati ad obicem usq̄ue immisso sulco, urethrâ, intrusisque in vesicam instrumentis dilatantibus, cum successu partes tumentes ad suppurationem adduci, vesicæque ostium ampliari docet Collot (g).

URINÆ etiam iter obstruunt, quæ aut vesicæ cervicem aut urethram extus comprimunt, ut Perinæ, Recti inflammatio, aut quilibet alius tumor, turgidæ Hæmorroïdes, Rectum excrementis aut aliis corporibus infarctum, in gravidis fœtus collum vesicæ comprimens, parturientibus idem pubem subter diutiùs im-

(a) Hild. Cent. 4<sup>a</sup>. Obs. 48.

(b) Cereos suppurantes cum causticis confundere caveat Chirurgus; his maximè noxii, illi blandâ supuratione obstacula solvunt. Horum formula videri potest in Libro Sharpii jam laudato p. 220.

(c) Vid. in Actis R. Ch. Ac. M. Foubert Comment. de novâ Calculum extrahendi viâ, in quâ descripta est hæc operatio instrumentaque ad hanc perficiendam idonea delineata reperiuntur.

(d) Vid. Delin. hujus instrumenti ad calcem Oper. Dionisi jam citat. Litt. e. Tab. I<sup>a</sup>. (e) Collot p. 250. (f) Sharp Ibid. p. 208.

(g) Pag. 235.

morans, in quocumque demum statu in fœminis uteri inflammatio; prolapsus, inversio, menstrua ob vaginæ impersorationem cohibita, Perinæi, Recti inflammationi opitulandum. Si fiant abscessus, maturè aperiendi, ne pus inter partes vicinas serpat, aut etiam urethram corrodat. Si inflammatio reprimi nequeat, urgeat ischuria, nec catether in vesicam deprimi possit, supra pubem punctio instituenda. Si urinæ retentio conjuncta sit cum aliquibus ex recensitis mox uteri affectibus, instantis à parte urinæ mali causa patet. Radicalem mali hujus curationem hic non fuscipimus, palliativa catetheris usu obtinenda, Ischuriæ ab Hæmorrhoidibus Rectoque infarcto causa curatioque in aperto sunt.

CETERUM pro variis complicationibus, media curantia variare, sagacem Chirurgum sua mens edocebit.

*du Diocay du  
er Hauts*

*Has positiones, DEO JUVANTE, & præside M.  
SALVATORE MORAND, Equite, Artium &  
Chirurgiae Magistro, è Regiis Scientiarum Parisiensi &  
Londinensi Academiis &c. Regio Librorum Censore,  
Militarium Nosocomiorum Inspectore Generali, Regiæ  
Invalidorum militum Domus Chirurgo Primario, Regiæ  
Chirurg. Academiæ Secretario, olim Directore &c.  
tueri conabitur PETRUS BRASDOR Cœnomanensis, in  
almâ Universitate Parisiensi Artium Magister, nec-non  
Serenissimæ Aurelianensem Ducisse Chirurgus Primarius.*

### P A R I S I I S,

### IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.

*Die 30<sup>e</sup>. Octobris, anno Salutis 1752. à sesqui-secundâ  
post meridiem ad septimam.*

PRO ACTU PUBLICO

ET MAGISTERII LAUREA.

---

Typis DELAGUETTE Regii Chirurg. Collegii  
Typographi. 1752.